

3025.
247

VIRIS

EXPERIENTISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS
GENEROSISSIMO

PETRO L. B. DE BELLINGSHAVSEN

RIGA - LIVONO

CLARISSIMO

FRID. CHRISTIANO SCHENCKIO

WEISENSENSI

ATQVE

CLARISSIMO

IO. AVG. FRID. LAMPRECHT

ORTRANDO - MISNICO

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

GRATVLATVR

SOCIETATIS

SVB PRAESIDIO

VIRI EXPERIENTISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

CHRISTIANI FRIDERICI LVDWIGII

PH. ET MED. D. ET P. P.

LEGENDIS LIBRIS RECENTIORIBVS

OCCVPATAE

INTERPRES

FRIDERICVS GOTTLOB SCHIRMER

DRESDENSIS. MED. BACC.

Insunt quaedam de abortu.

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

786

Obstetr.

75,40

Abortus
Obstetr. 67

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

FRANZ JOSEPH VON SÖRGENFELD

Et si aequae foeminis, ac animalibus foemininis definitum pariendi tempus a Summo Creatore constitutum est, et omnes finem noni aut initium decimi grauiditatis mensis vel accuratius diem ducentimum et septuagesimum vsque ad octogesimum, hunc esse terminum statuunt, tamen haud raro accidit, vt ob varias causas grauidae terminum istum non attingant, et citius, quam par est, foetum immaturum atque imperfectum excludant. Si itaque praegressa vteri haemorrhagia, doloribus regionis ossis sacri, quos dolores ad partum vocant, aperto orificio vteri interno et effluxu aquae in membranis contentae, foetus immaturus et vita priuatus vtero excluditur, consequitur abortio. Quamuis autem omni grauiditatis tempore abortio accidere soleat, tamen illa iuxta sententiam medicorum tantummodo in secundum, tertium aut quartum mensem incidere potest; ab eo autem tempore vsque ad mensem septimum dicitur partus immaturus, a septimo vero vsque ad nonum partus praematurus^{a)}.

Partus, vt iam monuimus, non semper definito tempore in lucem editur, sed interdum aliqua procrastinatio termini istius ad aliquot dies concedenda est, et in hac re volatilia, quae semper statum diem seruant, hominibus praestantiora esse experientia docet. At vero quoniam grauidae non raro ob errorem calculi, a quo tempore concepere, terminum istum ignorant, quod plerumque in vaga venere accidere solet, indeque partum perfectum pro abortu habent, aut etiam stupratae foetus suos, licet maturos et perfectos, tamen pro immaturis obtrudunt et venditant, vt pro legitimis habeantur, signa eiusmodi partus immaturi et abortus veri probe perspicienda sunt. Praecipuum a conceptionis tempore vero et infallibili, siquidem semper indagari possit; alterum a causis antecedentibus, quae foetum immaturum propellere possunt, tertium a notis imperfectae fabricae, quas in ipso foetu reperiri necesse est, iisque insignibus atque euidentibus desumitur. Namque foetus octo mensium et septem mestrus, quem ipse Hippocrates non vitalem existimat, nisi, vti saepe fit, talis solum fingatur, imperfectam structuram semper ex sutura coronali, vnguibus, auriculis, labiis, cuticula aliisque eiusmodi testimoniis^{b)} cognosces, hinc foetus, licet etiam vivi ad tempus persistant, vitam tamen

A 2

de

a) Puzos Traité des accouchemens p. 190.

b) C. G. Ludwigi Instit. Med. forens. §. 108.



debilem transigunt ^{c)} et plerumque ante tertiam hebdomadam diem obeunt supremum. Notarunt tamen Aristoteles aliique autores in Aegypto saepe viuaces esse octo mensium foetus, quod soli coelique illius clementiae tribuendum est, quae eorum immaturitatem corrigat quasi ac emendat. Nec desunt, qui et alibi viuaces octauo mensis asserant neonatos, exemplisque confirmant. Ita Plinius ^{d)} Caesoniam Caii coniugem octauo mense natam refert. Denique hoc addendum est, abortum verum raro vel nunquam debitam magnitudinem, quae mensibus istis debetur, obtinere, quoniam ante exclusionem ut plurimum languescit, aut plane vita destituitur.

Inter abortus signa, quae medico praecipue scitu necessaria sunt, ut praecauere illum vel impedire quocumque modo possit, referuntur sequentia: eruptio sanguinis menstrui insolita vel alius humoris foetum alias ambientis cum dolore quodam consociata, tormina infimi ventris, veluti parturientium, motus embryonis nullus vel nimius; porro si mulieri mammae derepente gracilescent, vel alius sponte et copiose soluitur, vel lac copiosum e mammis fluit ^{e)}. Quin etiam de abortu iam superato, sed a scortis dissimulato iudicium ferre debet medicus, cuius signa autem cum signis partus veri et legitimi conveniunt, quae sunt detumescencia abdominis subitanea, cruentatio genitalium, fluxus lochiorum, quaedam lactis in mammis turgescentia, odor puerperis proprius et id genus alia.

Causae, a quibus abortio excitari potest, sunt innumerae eaeque vel externae vel internae. Causa vero proxima est concitatio humorum spirituumque affluxus, quo nerui uterini adeo, ut convulsiva constrictione placentam solvant, irritantur, et omnis sanguinis inter matrem et foetum circuitus turbatur. Tali itaque constrictione et commotione placenta ab utero soluitur, quod quidem prioribus mensibus eo facilius accidere solet, quia tunc temporis foetus tantummodo pedunculo tenui adhaeret utero, quo soluto foetus ut corpus heterogeneum in utero latet, quod uterus muscularibus fibris absque dubio instructus e medio tollere nititur. Cum vero talis constrictione atque irritatio ab innumeris diuersisque causis proficiscatur, quibus aliae a sola matre, aliae a foetu pendent, adiungamus nunc illas, quae corpus ad istam praedisponunt. Si ad matrem ipsam, eiusque constitutionem spectes, plethoram, cachexiam, cacochymiam, uteri inflammationem, scirrhos, polypos et alia,

^{c)} *Aristot.* hist. animal. 7. c. 4.

^{d)} *Plinii* histor. natur. Lib. VII. 4.

^{e)} *Hipp.* 2. Epid. 71. et Aphorif.

alia vteri vitia, sicuti quoque vteri atoniam, fabricam ossium peluis peruersam, nec non systema neruosum nimis irritabile, quod nostris temporibus admodum viget, grauidas foeminas ad abortum praedisponere, vnicuique patet; namque ab illo tempore, quo mulierculae lectorem fabularum romanensium in deliciis habuere, spasmi et noua quasi morborum systematis neruosi cohors terris incubuit, qua animi pathemata incitantur, quae foetui facillime obnoxia esse queunt. Non minus etiam illae, quae temperamento bilioso et gracili corpore gaudent, saepius hac noxa afficiuntur. Quod vitae genus attinet, foemellae urbanae et delicatulae, quae vtpurimum vitam otiosam degunt et thoracibus quasi ferreis et cibis ingeniose excogitatis et aromate multo conditis vtuntur, frequentiores illis, quae agros colunt, multisque laboribus corpus exercent, hoc malo corripuntur. Omnibus porro foemellis, quae primo grauiditatis tempore aut a malo regimine aut a vi externa abortum passae sunt, ita quoque debilibus, hecticis aut alia febre emaciatis, vel iis, quae citius, quam par est, viro nupsere, in quibus vterus debita magnitudine et robore adhuc caret, abortio est solemnis. Denique ipsius foetus imbecillitas, magnitudo, foetuum numerus auctus, forma monstrosa, situs prauus, placenta nimis dura, hydropica, hydatodes, funiculi spermatici nodi, circumuolutiones circa tenelli infantis corpus et nimia liquoris amnii copia in culpa esse possunt ^{f)}. Quaecunque vero vterum irritant, vt vehementer et quasi conuulsive se constringat, suppeditant causas occasionales, quarum aliae in nostra potestate sunt, aliae vero inopinato eueniunt. Ad priores pertinent ira, aerumna, saltatio, vectio in curru vel equo vehementior, violentae corporis concussiones, oneris iusto grauioris eleuatio, cibi aromate conditi, potus spirituosus, veneris abusus; ad posteriores vero terror, tussis et sternutatio violenta, vomitus, nimia durante grauiditate fluxus menstrui excretio, aer calidior, nimis vehemens odor, carbonum fumus, fluor albus, scorbutus ^{g)}, epilepsia, vigiliae nimis longae, ieiunium plurium dierum ^{h)}, diarrhoea, dysenteria ⁱ⁾ et quicquid sanguinem ad vterum nimis compellit.

A 3


In

f) *Hamilton Hebammenkunst übers. von Ebeling. Leipzig 1782. 8. p. 89.*

g) *Astruc Traité des maladies des femmes. Tom. V. a Paris 1765. 12. p. 321.*

h) *Deleurye Abhandlung von Geburt. üb. v. Flemming. Breslau 1778.*

i) *Mobrenheim Beobachtungen. T. II. p. 243.*



In prognosi formanda medicus praecipue causas, mulieris naturam et temperamentum perscrutari debet, et ex vehementia haemorrhagiae et reliquorum symptomatum colligere potest, an de vita matris sit desperandum, nec ne. Namque omnia, quae contra naturam et magna vi fiunt, non possunt, quin periculosiora sint, quam quae secundum naturae legem eueniunt.

Quibus praemissis patet, in abortione adhuc imminente omnem curam eo dirigendam esse, ut causae quaecunque, quas accusauimus, remoueantur, viresque tam matris, quam foetus remediis idoneis corroborentur. Cum vero, uti supra vidimus, abortionis causae longe repetantur, ideo quoque ante conceptionem iam aliqua cura institui debet, quam vero, praesente iam grauiditate circumspicte administrare conuenit. Nihilofecius tamen praesente grauiditate causis, quas indicauimus, est resistendum, ea quidem cum cautione, ne remediis generosioribus foetui debili vis inferatur, et, bene licet excogitata sint, malum tamen euentum creent. Iam vero prophylactica cura constat praecipue in eo, ut uteri atonia^{k)} tollatur, eiusque robur restituatur. Id quod situ horizontali^{l)} balneis frigidis^{m)} atque acidis inprimis vitriolicoⁿ⁾ aqua nimirum Rabeliana, elixirio vitrioli acido Halleri et Londinensi, aquis mineralibus roborantibus, Pyrmontanis et Lauchstadiensibus, cortice peruuiano et succo citri^{o)} eo facilius fieri potest, quo magis haec medicamenta corpus roborant et motum humorum liberum atque aequalem reddunt. Cauendum tamen, ne talia balnea in usum vocentur, quae sulphure scatent, quia iis semper sudor magis, quam par est, succedit, martialia vero hoc loco summi usus sunt, quibus cum tincturis martialibus uti licet. Deinde versus tempus abortionis venaesectio reuulsoria^{p)} haud contemnenda est, quae saepius in foeminis antea ter quaterue abortum perpessis, foetum retinuit. Quem in finem etiam in grauidis sanis et iuuenibus a medicis ut plurimum a quarto usque ad septimum gestationis mensem ad praecauendas eruptiones sanguinis praeternaturales, inflammationes, febres aliasque vicissitudines in statu grauiditatis ex suppressione mensium, aut

k) Confr. I. G. Flemming Diss. de uteri atonia. Lips. 1776. 4.

l) *Lauverjat* in Journ. de Medecine Tome LVII.

m) A treatise on the menagement of praegnant or lying in Women by *Charl. White*. London 1773.

n) *Hamilton* l. c.

o) *Journal de Med.* l. c.

p) v. Praeceptoris nostri venerandi Excell. *Krausii* Diss. de deriuatione ac reuulsione humor, Lips. 1763. 4.

magis

magis inter partus labores metuendas, venaesectio commendatur. Summum periculum infert haemorrhagia, quae saepius omnem medelam eludit. Quae si accesserit iniectionibus leniter adstringentibus, vel iuxta sententiam *Leroux* ^{q)} linteis oxycrato imbutis inque vteri cervicem immixtis, vel pulvere radicis ipecacuanhae ex mente *de Haenii* ^{r)} vel tinctura cinnamomi, quam *Plenckius* ^{s)} eximie commendat sistenda est. Nullo vero modo abortio est promouenda, quamdiu foetus adhuc vivere credibile est, et aliqua foetus retineri posse spes affulget. Alia tamen ratio est foetus iam mortui, qui omnino promouendus et expellendus est, antequam putrescat, pluraque alia mala inducat. In abortu iam edito opus est, ut secundinae, si quae restent, promoueantur, vterus rite expurgetur et symptomata metuenda praecaveantur arceanturque. Si citius accesseris et grauida de dolore lumborum conqueritur, venaesectio reuulsoria saepissime praecipuam opem fert, tam prophylaxeos, quam curationis gratia, ubicunque nimirum idoneae indicationes adsunt ^{t)}. Si venaesectio nullus locus relictus, scarificationes quoque iisdem indicationibus quodammodo satisfaciunt; etiam ligaturae moderatae abdominis vteri extensi molem suffulciunt, ne nimia iactatione ligamenta eius laedantur, aut foetus ipse in situ naturali turbetur, imprimis in foeminis tenerioribus ligamentis laxioribus instructis. Laxantia et enemata mitiora locum habent, ubi aluus grauidae officio suo non fungitur, et impuritates in primis viis collectae vicino vtero aut foetui ipsi molestias creant. Imo vomitorium mite atque blandum interdum admittere licet ^{u)} v. c. in asthma, catarrho suffocatio, veneno improviso hausto, aut cruditatibus in ventriculo collectis et per hanc viam tendentibus. A diureticis vero utpote menses mouentibus, prorsus est abstinendum. Specifica, ab abortu praeseruantia, innumera quidem promiscue commendantur, quae tamen diuersis admodum viribus, quaedam etiam nullis omnino gaudent, ideoque circa eorum usum sedulo cauendum est, ne empiricorum more noxia aut inefficacia remedia, salutaribus substituamus.

Sed

q) *Leroux Beobachtungen über die Blutflüsse der Wöchnerinnen etc.* Koenigsb. 1784.


r) *de Haen Praelectiones Pathologicae*, Viennae 1780.

s) *Wienerische Beyträge von Morrenheim*. 1781. Tom. I. S. 406.

t) *Baudelocque* II. p. 342. vers. germ.

u) *Plenck* l. c.

Sed quo certius mihi conscius sum, quam tenuia sint, quae haecenus pro virium mearum modulo a me sunt exposita, eo verecundius Vos rogo Viri Experientissimi, ut specimen hocce festinante calamo conscriptum, indulgenter accipiat, neque pro Vestra doctrina et ingenii subtilitate strenue diiudicetis. Scripsi enim haec omnia non ostentationis, sed officii mei memor animi declarandi gratia. Igitur non tam de scripto ipso, quam de laetissima eius occasione laetor, quae mihi potestatem fecit, et fungendi mandatis carissimorum commilitonum et gratulandi amicis nobis omnibus caris. Gratulantur enim Vobis ex animo, me interprete, societatis nostrae litterariae sodales de collatis in Vos honoribus in arte medica summis et immiscent precibus meis vota sincerrima pro salute et felicitate Vestra. Ita valete nobisque et impotestum fauete. Scr. Lips. A. R. S. MDCCLXXXVI.



Nomina Sodalium.

Hartog, Amstelodamensis.

Levy, Dresdensis.

Schirmer, Dresdensis.

Frenzel, Lufatus.

Wolf, Lufatus.

Crusius, Lufatus.

Schuch, Hamburgensis.

Klose, Lufatus.

M. Jancke, Lipsiensis.

Sasse, Lufatus.

Richter, Dresdensis.

Siegling, Francus.

Schreger, Ciza-Misnicus.

Baumgarten, Lufatus.

Hennig, Fribergensis.